DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

14

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;


ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS ELLIOT,

SCOTUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.



EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1809.

JACOBO GREGORY, M.D.

MED. PRACT. IN ACAD. EDIN. PROF.

ETC.

NECNON

JACOBO HOME, M. D.

MAT. MED. IN ACAD. EDIN. PROF.

ETC.

SUMMA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA,

HANC DISSERTATIONEM,

D.D. DQUE

AUCTOR.

JOHANNI ELLIOT,

DE WHITHAUGH, ARMIGERO,

FRATRI SUO CARO, ET AMICO CONJUNCTISSIMO,

HÆC SACRAT

THOMAS ELLIOT.

"In hoc morbo, sicut in aliis omnibus, quorum certa remedia nondum inventa sunt, æger contentus esse debet iis præceptis, quæ docent, qualis vitæ victûsque ratio fugienda sit, qualisque eligenda, ut totius corporis valetudini quàm optimè consulatur."

HEBERDEN *Commentarii.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

Auctore THOMA ELLIOT

PHTHISIS Pulmonalis summam attentionem medicorum Britannicorum jure sibi vindicat, quippe quæ adeò frequenter in hac insula sese ostendit, ut morbus endemicus Magnæ Britanniæ, vel *Morbus Anglicus*, haud rarò nominatur; et inter eos qui sævitiæ ejus obnoxiores, pleno nempè vigore adolescentiæ, et decoris maximè florentes, stragem immanem efficit. Hinc veniam facilè dandam esse mihi spero, quod de hac re in animo erat disceptare, quamvis nihil novi aut incogniti, quod dicam, habeo.

Accuratissimus sagacissimusque SYDENHAMIUS tradidit, quod phthisis pulmonalis duos trientes eorum, quos morbi chronici jugulant, interficeret. Alio loco statuit, morbos chronicos tertiam ferè hominum partem necare: his itaque proportionibus positis, patebit phthisin pulmonalem quadraginta millia hominum, et amplius, in hac insula quotannis absumere. Et a diebus SYDENHAMII numerum ex phthisi mortuorum potiùs auctum quàm imminutum veri est simile. Londini, ut quidam statuunt, proportio ad partem quartam attingit*; et in *Bristol* et *Shrewsbury*, et quibusdam regionibus ruralibus Scotiæ†, usque major habetur. Londini, numerus ex phthisi mortuorum per spatium centum annorum proximè actorum, a tribus millibus ferè ad quinque millia quotannis extendere ducebatur‡: unde pateat quàm lethalem

---

* "London Bills of Mortality."

† BEDDOES "on Consumption," p. 2. et 3. p. 87. et seq.

‡ HEBERDEN's "Observations on the Increase and Decrease of Diseases," p. 42.

lethalem stragem hic morbus in Magna Britannia efficit, et sententiam, luculenter dictam, nostri celeberrimi GREGORII, in sua dissertatione inaugurali eloquentissima, evincit: "Pauci sunt quibus cognati, familiares, aut amici, hac peste abrepti, non sunt lugendi. Misera hæc tabes, sæva, atrox, et insensibilis, teneros et amabiles depascens, cæde et luctu patriam implet."

PHTHISIS pulmonalis à clarissimo CULLENO, in suo Nosologiæ systemate, his verbis definitur: "Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta." Quæ definitio, quamvis optima sit, naturam morbi forsitan tantummodo in stadiis provectioribus describit: talia autem signa qualia stadium primum benè denotant, meliùs intelligentur ex pleniore horum recensione, posteà scilicet in descriptione danda.

Læsiones pulmonum ex quibus phthisis pulmonalis suam ducere originem habetur, sunt hæmoptysis; suppuratio a pneumonia inducta; catarrhus; asthma; et tubercula. Omnes tamen ex quatuor causis primis recensitis sine

tabe

tabe subsequente sese adeò frequenter conspiciendas dederunt, et tubercula, ut patet sectionibus cadaverum, tam vulgò, vel, ut ita dicam, ferè semper adsunt in pulmonibus hac labe mortuorum *, ut mihi placet in præsentia non nisi de *phthisi tuberculosâ* disserere. Ita placet propterea quod hæmoptysin in constitutione integra vel causis internis, quasi plethora, vel malis extrinsecùs illatis, exempli gratiâ, vulneribus pulmonum, orientem, sæpè sanatam sine phthisi subsequente videmus ; nec minùs quod in pluribus casibus, in novem forsitan ex decem, hæmoptysis non insultui phthiseos anteit, sed quasi signum ejus tantummodo evenit. In abscessu

* SIMMONS "Observations on Consumption," ubi dicit, "Of all the dead bodies of those who died of phthisis, which I have had an opportunity of inspecting, and these have been many, I never found tubercles totally wanting." Alii medici etiam magni nominis et experientiæ, quibus copia fuit multas sectiones cadaverum phthiseos mortuorum conspiciendi, sese per multos annos duos tantùm aut tres casus quibus tubercula non pulmonibus adfuerunt, vidisse testantur.

abscessu pulmonum ex pneumonia oriente, cùm pulmones sani et constitutio bona anteà fuerint, si pus sincerum sit, et liberè et sine difficultate exscreatum, interdum non supervenit febris hectica, et ulcus haud rarò gradatim sanescit. Catarrhus vulgò lenis morbus est, et quibus aliter prosperâ valetudine gaudentibus, neque phthisicâ labe imbutis, plerumque facilè aufertur: quandoque autem multos perstiterit annos sub forma catarrhi chronici, neque phthisin inducens: sub quo scilicet statu, cùm ægri provectiore ætate sint, potiùs in peripneumoniam notham seu hydrothoracem dilabitur. In hydrothorace, quàm in phthisi, asthma etiam sæpiùs terminatur; ægro per spatium multorum annorum gravibus frequentibusque paroxysmis vexato.

Igitur hæc omnia pro causis formationem tuberculorum promoventibus, sive inflammationem in eis jam formatis excitantibus, et ita demum phthisin cientibus, ut statuam allicior; neque, quasi læsiones pulmonum, quibus hæc utpote sequela attribui potest, sine tuberculis intervenientibus, ista habenda esse puto: benè enim

enim cognitum est, tubercula quandoque in pulmonibus inventa esse, etiamsi nulla pectoris affectio sentita fuerit dum æger viveret*. In talibus autem casibus, confitendum est, tubercula ferè semper parva et perpauca esse: unde facillimè pateat hæc sine incommodo usque donec vel functiones pulmonum suâ mole et numero impedire inceperint, vel aliquid inflammationis, sive causis fortuitis, sive mutationibus quibusdam in substantia eorum inductum fuerit, existere posse. Igitur in hoc statu quiescente, an tubercula adsint, necne, vix pro comperto habere possumus. Quando phthisis pulmonalis accedit sine tuberculis pulmones infestantibus, (quod quidem ex causis jam dictis vi majore agentibus, vel per spatium temporis longum perstantibus, evenire posse credo), morbus in genere vix aliter a phthisi tuberculosa distinguitur, nisi quod, cæteris paribus, minore stipatur discrimine. Quamobrem ratio generalis medendi utrisque commoda fuerit; praxi scilicet ad signa aptata.

Phthisis

* SIMMONS "on Consumption," p. 9.

Phthisis pulmonalis ferè semper initium capit cum tussicula sicca et curta, ita parva quidem et leni, ut ipse æger pro nihilo habet; immò, se conscium esse tussiendi cùm admoneatur ab amicis sæpè denegat; usque donec, cum diu perstiterit sensim aucta, animum ad illam intendere denique coactus fuerit. Talis tussis, in quibusdam casibus, per menses aliquot vel etiam annos perstiterit, sine aliis affectionibus inductis; quandoque etiam frigidioribus tantummodò tempestatibus anni sese apertè prodiderit, ægro immuni relicto æstivo tempore; et ita res sese habuerint forsitan per spatium quorundam annorum. Postquam autem sæpè convaluerit et relapsus fuerit æger, alia signa denique accedunt, vestigia tussis (quæ ipsa nonnunquam ab initio violenta est, necnon molesta, et multis malis stipata) plerumque haud tardè, sed, morbo pravo existente, ocyssimè, sequentia: quæ sunt, sensus angustiæ vel molestiæ circa præcordia, nonnulla dyspnœâ stipatus; respiratio ab ulla actione, vel etiam motu levi corporis, præcipuè quando in altitudinem ascenditur, facilis, nec parùm, citatu;

citatu; appetentia cibi imminuta; corpus et vires dilabuntur; ægro pigro et languido facto. Frigus quasi admissum æger persentiscit; raucedo est facilis inductu; vagi dolores nunc in thorace ducuntur, unaquaque lancinantes, et postquam magis fixi devenerint, locum tenent vel sub sterno vel quandoque etiam in uno seu altero latere, quod in latus decubitus difficilis. Sæpè adsunt algores, quandoque etiam horrores, quos excipiunt paroxysmi calidi, erubescentia faciei et ardoribus pedum et manuum, præcipuè vespere stipati, in sudores auroram versus, caput, cervicem, et pectus maximè occupantes, denique abeuntes. Sitis haud parùm urget hoc stadio morbi; urina est altè colorata, manè sedimentum copiosum furfuraceo-rubrum depositura. Astringitur alvus. Tussis nunc et frequentior et gravior devenit, ægrum cubitum iturum ferè semper corripit paroxysmus tussiendi, multò manè nonnunquam iterandus. Nunc quoque mucus viscidus, præcipuè manè, ejicitur; qui tandem copiosior fit et magis opacus, sæpè subdulcis vel quasi salinus sapit, quandoque strias sanguineas

guineas ostendit; colorem flavum aut subviridem sensim induit, speciem puris referens.

Morbo ingravescente, tussis magis atque magis urget, frequentior fit atque molestior, nocturno tempore maximè infesta. Sputa purulenta majore copiâ ejiciuntur, odore fœtido neque sapore jucundo sæpè imbuta; et in casibus perpaucis parva ex genere calcareo concreta, tussi rejecta sunt. Respiratio difficilior evenit; instant urgentque emaciatio et debilitas, quibus œdemata pedum et talorum nunc sese adjungunt. Exacerbatio hectica vespertina gravior accedit, quam nunc excipiunt profusi sudores colliquentes, cum diarrhœa molesta, vel stipati vel alternantes. In mulieribus nonnullis, quibus scilicet menstrua ritè et tempestivè effluxerunt, morbo progrediente, et interdum neque adhuc longè progresso, hæcce effluere desinunt; in aliis autem menstrua sese propriis horis ostendere perstant, etiam cùm miseræ ægræ tam debiles fiant ut vix ab uno latere conclavis ad alterum, nemine adjuvante, ambulare valeant. In stadiis provectioribus phthiseos sitis sæpè minimè

molesta est, quandoque autem aliter evenit ; os humidum ; lingua enitet, sordium expers. Stadio ultimo progrediente, sensus molestiæ ducitur in ore et faucibus, quippe paululùm inflammatis, dolore sub deglutitione stipatus ; et per dies aliquot ante accessum mortis hæ partes etiam aphthis plùs minùs teguntur.

Per totum cursum morbi pulsus ferè semper multùm frequentiores solito micant, circiter nonaginta in momento horæ, ab ineunte fortè stadio ; morbo autem ingravescente, frequentissimi quidem fiunt, a centum et viginti usque ad centum et quadraginta eodem tempore micantes. In omni ferè stadio phthiseos, sanguis emissus et jam concretus superficiem albam coriaceam ostendit. Appetentia cibi, in stadiis febris hecticæ provectioribus, multò minùs prostrata est quàm in ulla alia febrium specie ; facies, tabe vires eundo acquirente, fit pallida, et interdum quasi illota ; et exacerbatione hecticâ perstante, macula florida circumscripta genam utramque occupat. Tunica conjunctiva oculi speciem margaritarum refert, neque vasa sanguinea ostendens ; debilitate et

emaciatione

emaciatione magnoperè auctis, decidunt capilli, ungues fiunt adunci; tanta quidem nonnunquam est emaciatio ut corpus verè fiat nihil aliud nisi ossa cuti inducta. In hoc morbo, etiam ut signa hectica adsint, sensorium tamen læsioni vix obnoxium esse ducitur, mente ad finem integrâ interdum perstante. Quidam phthisici delirio nunquam corripiuntur, et in aliis ubi quidem delirium evenit, non nisi pro certo mortis prænuncio habeatur. Attamen sæpè accedit ægrum subitò et sine conatu, quasi syncope e medio tolli; et morbus quandoque talem passus est terminationem ubi ægri e lecto surrexerant, et sese vestibus induerant, more solito; vel etiam cùm cibum, haud sine appetitu, capere pararent; vel demùm, ut aëre puro fruerentur, sedem in curru tenerent; sine discrimine mortis statim appropinquantis, eo tempore quàm quibusdam hebdomadis proximè actis evidentiore.

Signa suprà dicta cursum modò breviorem modò longiorem perficiunt; et ordo et vires eorum pro rebus et casibus variant. Alii quidem hoc morbo paucis mensibus a primo ejus

insultu

insultu e vivis abripiuntur, ut in regionibus calidioribus Europæ, in Italia nempè et Lusitania, haud raró evenire fertur; et usque apud nos tabidi quandoque moriuntur tribus aut quatuor hebdomadis vix elapsis ex quo tempore primo conqueri cœperunt. Alii autem per spatium multorum annorum signis phthisicis æstivo tempore abeuntibus, hyemali redeuntibus, et denique mortalibus evadentibus, affecti fuerint. Morbum nunc pro breviore tempore, nunc pro longiore, persistere observatum est; modò vix quatuor menses, quandoque etiam duos annos miserrimè urgentem; et spatium quo currit quandam habere rationem ætati ægri (quæ a decimo septimo ad trigesimum quintum annum vitæ pateat) quidam pro certo perhibent *. Quandoque nonnulla ex signis solitis per totam ægrotationem sese nunquam ostendunt. Quidam phthisici vix ullam patiuntur dyspnœam; alii diarrhœâ et sudoribus nocturnis parùm vexati sunt; et cùm hæc ambo

* STARK'S "Works," p. 25.

ambo in eodem ægro accedunt, sese invicem sæpè excipiunt, scilicet uno nunc imminuto, altero aucto, et ita alternis vicibus. Hectica febris quandoque lenis est admodum; nunc dolor thoracis, nunc expectoratio purulenta omninò abest; et quidam phthisici tussis expertes commemorantur. "Vide tabem mortiferam," (verba sunt Doctoris HEBERDEN), "ubi pulmones inventi sunt penitùs corrupti, et tamen per totam ægrotationem sanguis nullus exscreatus erat, nullus fuerat pectoris dolor, neque ulla difficultas in utrumlibet latus cubandi *."

In cadaveribus tabidis sectio hæcce demonstrant. Thorace rimato, adhæsiones plùs minùs amplæ inter pleuram costalem et pleuram pulmonalem, seu hancce posteriorem inter et partem pleuræ diaphragma vel pericardium tegentem, conspiciuntur. Tubercula autem sæpiùs adsunt. Hæcce adhuc parva, neque suppuratione inductâ, corpuscula sunt rotunda atque

* HEBERDEN Commentarii, p. 317.

atque firma, coloris albidi, et consistentiæ duritiem cartilaginis referentis. Variant mole, a minima granula usque ad dimidium digiti transversi in diametro patentia ; sunt mollia et lucentia, et quando secta structuram homogeneam ostendunt. Nisi inflammata sint, neque vesiculæ neque cellulæ, aut vasa sanguinea, etiam cum microscopo, in illis conspici possunt *. Ex tuberculis majoribus, alia inflammata, alia etiam suppurata inveniuntur. Suppurata, nisi rupta, fluido crasso atque albo, speciem puris referente, impleta sunt. Cavitates horum diversæ sunt mole, quædam vix notabiles, aliæ dimidium transversi unguis vel etiam ampliùs in diametro patentes ; quæ majorem habent molem, plerumque foramen rotundum in sese admissum, ex ramo bronchiarum, ostendunt. Quod ex tuberculis post suppurationem perfectam et materiem exhaustam maneat, non nisi tenuis capsulæ speciem refert. Vomicæ majore mole etiam quandoque

---

* Stark's "Works," p. 26.

quandoque adsunt, quasi tres aut quatuor digitos transversos in diametro patentes, speciemque priorum ferè referentes; non autem solummodò cum bronchiis sed inter semetipsas quoque diversis foraminibus communicantes. Quæ partes pulmonum tuberculis proximæ sint consistentiam densiorem naturali, præsertim si hæc numerosa existunt, ferè semper habent, neque aërem transmittunt; et rami majores arteriarum et venarum pulmonarium, vomicis appropinquantes (his nempè mole haud ita parva existentibus) sese subitò contrahunt, et partes suas concavas substantiâ fibrosâ ferè expletas ostendunt, quandoque etiam per partem aliquam sui cursûs, fortè digitum transversum, partibus vicinis vix adhærent. Hæcce contractio vasorum in vomicas currentium admirationem vix non excitare potest, quippè quæ naturam providentem, ut hæmorrhagiis subitò fatalibus eventuris occursum esset, demonstrat. Ramuli bronchiarum autem vix unquam contracti conspiciuntur *.

Utpote

* Stark's "Works," p. 29.

Utpote nulla structura glandulosa in membrana qua sita sunt inventa, veri est simile quod tubercula in tela cellulosa quæ cellulas pulmonum aërem accipientes inter sese innectit, formantur: ad latus internum tracheæ, ubi folliculi, nunquam conspiciuntur tubercula. Minora sæpè in globum conglomerantur, quæ haud absimile est, concrescunt, tuberculumque unum magnum efformant *.

Doctor BAILLIE †, alteram speciem tuberculorum, molli indole, neque pulpæ absimili, et colore subfusco gaudentium, pulmonibus etsi rarissimè accedentem, commemoravit. Talia tubercula grossulæ uvæ mole adæquant, superficiei pulmonum maximè assidentia, neque in suppurationem abeuntia.

Glandulæ lymphaticæ ad radicem pulmonum sitæ, sæpè etiam læsæ conspiciuntur; et ut quibusdam placet, species discreta tabis ita

constituta

---

* BAILLIE's "Morbid Anatomy," p. 68.

† Ibid. p. 71.

constituta est *, in qua nempè æger frequentiùs tussiat, dolore majore et dyspnœâ urgentibus. Quàm phthisis a tuberculis oriens minùs insidiosè surripere habetur; neque tamdiu latet. Glandulas thoracis lymphaticas, in phthisi vulgari a tuberculis oriente, sæpè subnigras esse monemur, quandoque etiam aliquid speciem cretæ humectatæ referens ostendentes †.

In phthisi pulmonali multùm variat ratio læsionis in variis partibus pulmonum ægri ejusdem, haud minùs quàm in pulmonibus ægrorum diversorum. Nunc tertia vix aut quarta pars pulmonum afficitur; nunc autem uterque pulmo penitùs corruptus est. Cùm pulmones partim solummodò tentantur, partes quidem læsæ superiores vel posteriores, partes autem sanæ inferiores vel potiùs anteriores, ferè semper existunt. Cùm penitùs corrupti sint, superiores et posteriores partes cæteris semper corruptione anteunt; et pulmo sinistri quàm dextri lateris plerumque magis affici-

C tur.

---

* Beddoes "on Consumption," p. 70.

† Stark's "Works," p. 30.

tur *. Ex calculo quodam rudi a Doctore STARK instituto de pulmonibus læsis, partem ad aërem accipiendum immunem relictam, in plerisque casibus, pro quadrante ferè universæ pulmonum substantiæ habendam esse apparet.

Signis morbosis jam dictis, vel sectione inventis spectatis, pro *causa proxima* hujusce morbi tubercula pulmonum, vel suo numero, vel inflammatione, sed præsertim suppuratione, functiones organi impedientia, et irritationem generalem systematis cientia, habere oportet.

Tubercula in pulmonibus infantum duos tantùm aut tres annos natorum inventa fuêre; neque contrà, ætate senescente, raró conspiciuntur. Ipse infantem vidi duos solummodò annos natum phthisi morientem, magnam scilicet copiam materiei purulentæ ex pectore ejicientem. Vidi etiam hominem annum septuagesimum agentem, cui morbus pertussi inducebatur,

* STARK's "Works," p. 30.

ducebatur, hac peste necatum. Interque limites suprà positos, medicos phthisin ferè omni horâ mortalem vidisse necesse est. Attamen phthisis ex tuberculis oriens eodem quo tempore hæmoptysis, annos nimirùm inter decimum sextum et trigesimum quintum ætatis, sæpissimè cadit. Haud secus ac scrofula, procul dubio a parentibus derivatur; qui obnoxiores scilicet a parentibus phthisicis aut strumosis orti, et glandulis lymphaticis puerili ætate duris ac tumidis instructi. Qui hæmoptysi, illi etiam plerumque phthisi tuberculosæ procliviores. Proclivitatem habent gracili formâ, longo collo, arcto thorace, alatisque humeris, maximè gaudentes; quibus spina incurva, aut capacitas thoracis quovis modo imminúta; quorum cutis alba est et mollis; complexio venusta; vox debilis, necnon raucedine chronicâ affecta; qui denique raucedine et cæteris signis catarrhalibus, ex causis non æquis, facillimè correpti. Mulieres quàm viri etiam procliviores habentur. Ad hoc regionum calidiorum incolæ in locos frigidiores, humidiores, et mutationibus magis obnoxios, demigrantes,

demigrantes. Oculos cœruleos et pupillas magnas *, necnon dentes albos †, quasi huic morbo affines quidam etiam recensent. Neque prætereundum est, negotia sedentaria, præcipuè aëre impuro et victu tenuiore conjuncta; et multas alias res, quas tamen inter causas excitantes potiùs annumerandas habeo: quales sunt, hæmoptysis, pneumonia, catarrhus, asthma, pertussis, varia exanthemata, quasi variola, scarlatina anginosa, et imprimis rubeola. His addendum est alios quoque morbos, quasi syphilin, et scorbutum; qui effectus eosdem vel corpus debilitando, vel debilitate, cum acrimonia quadam morbida fluidorum, ex pure vitiato absorpto oriente, conjuncta, edunt: in syphili etiam omnes notæ quibus phthisin adesse judicemus nonnunquam conspiciuntur, sine ullis prioris morbi signis solitis observatis, donec signa tabida complures menses

---

* Beddoes "on Consumption," p. 180.

† Simmons "on Consumption," p. 13.

menses perstiterint. Molendinarii, et qui victum quærunt lapides secando, falces et acus acuendo, vel etiam linum carminando; nec minùs qui instrumentis musicis inflando, vel modo tali aliquo respirationem nimis cient, omnes quidem habiti sunt phthisi tuberculosæ quàm maximè proclives.

Quibus inest ulla phthisi pulmonali proclivitas, illis quicquid ferè plethoram adauget, vel nimiam pulmonibus determinationem sanguinis ibique congestionem efficit, quasi *causa* hunc morbum *excitans* existere potest. Cujus generis sunt: Hæmorrhagiæ subitò suppressæ, vel ulcera aut setacea solita exsiccata; amputatio ullorum ex membris majoribus; eruptiones cutem infestantes, citò repulsæ; et, præ cæteris, perspiratio impedita ex vicibus nempè subitis et frequentibus caloris et algoris in hac regione, temporibus vernalibus et autumnalibus maximè grassantibus.

In Britannia quidem, ne phthisis ex contagio oriatur vix timendum puto: qui autem partes australes Europæ incolunt, uti famâ traditur, de natura ejus contagiosa neutiquam ancipites

ancipites hærent; et quidam medici, haud parvi nominis, phthisin etiam in nostra regione quandoque contagio communicatam habent. Doctor HEBERDEN, postquam sese de hac re dubium professus est, hæcce facit verba memorabilia: "fateor autem me vidisse nonnullos tabe pereuntes, quorum morbus non aliud probabilius habuit initium, quàm quod assiduè unà fuissent, aut etiam dormiîssent cum tabidis *."

Cùm phthisin in pluribus casibus tam insidiosè surripientem, et magnum quo stipatur discrimen spectemus, quàm maximè momenti fit ut *diagnosin* accuratam ineunte morbi stadio instituere possimus; ineuntibus enim stadiis solummodò, ars medica multùm valet, quò minùs progrediatur longiùs, ac proindè mortalis evadat. Et error his stadiis, in diagnosi instituenda, admissus, sæpè malis viam sternit quæ reparari nequeunt.

Morbi

* HEBERDEN Commentarii, p. 320.

Morbi quibuscum discrimen est ne phthisis confundatur, Catarrhus sunt, et Chlorosis in quibusdam ex suis formis; necnon Syphilis pulmones invadens, quod quidem rariùs contingit.

Catarrhum ferè semper ex frigore accepto indagare possumus; pyrexiâ plerumque incipit, gravedine, coryzâ, infarctione narium, sternutatione, necnon inflammatione quadam faucium, simul stipatus. Affectus pectoris, pro sensu cruditatis vel molestiæ quàm doloris potiùs habendus; tussis est liberior, expectoratione nonnullâ subitò subsequente. Cùm catarrhus diutiùs perstiterit, sputum expers fœtoris exscreatum, magis quoque homogeneum, in colore scilicit et consistentia; neque dyspnœa, debilitas, emaciatio, et pulsus, utpote in phthisi, sese habent. Si autem, cæteris signis dubiis præsentibus, sputum sanguine ex pulmonibus exscreato striatum sit, et æger simul habitu tabido existat, phthisin haud longè abesse ut judicemus fortè liceat; et quando sputum esse purulentum pro comperto habere possumus, non dubitare queat. Ut pus a mu-

co secernere possimus, variæ quasi trutinæ in usu sunt; quinetiam a quibusdam laudantur; neque his tamen confidendum est. Mucus haud secùs ac pus sæpè flavi vel subviridis est coloris, opacum, friabile; et aquâ admixtum nisi aëre simul conjunctum, imum petit: prunis quoque impositum, odorem injucundum edit. Periculis a Domino CAROLO DARWIN institutis, certiòres facti sumus, acidum sulphuricum et mucum et pus solvere, amboque separari, aquam scilicet addendo: mucus vel ad summum denatat, aut in flocculos divisus liquore suspenditur; pus verò, è contrario, imum petit, vel agitando ita diffunditur, ut liquorem profectò turbidum efficiat. Aqua potassæ, quodam tempore elapso, mucum solvit, plerumque pus; et, aquâ additâ, pus non mucus præcipitatur. Etsi nulla certa signa fortassè quibus materies quæ ab ulcere fluit mero humore ex membrana inflammata exudente distinguatur, (nisi fœtor nonnullús adsit), habemus; cùm tamen eveniat tussis, expectoratione apertè purulentâ, et cæteris signis hecticis stipatâ, consilium tutissimum est remedia adhibere

idonea

idonea haud secùs ac phthisis esset. Atque si evenerit nullum, nisi catarrhum, morbum adfuisse, regimen tamen antiphlogisticum adhuc maximè idoneum fuerit ; et multos casus phthisi relatos, denique tamen sanatos, hujusce generis fuisse, veri est simile.

Chlorosis, quamvis signis quàm maximè phthisin incipientem referentibus, haud rarò stipatur, hisce fortè sequentibus una ab alterâ distingui queat. In chlorosi retentio mensium semper contingit ; tussis plerumque paroxysmis gravibus vix instat ; dolor pectoris haud semper eundem infestat locum ; pulsus neque tam pertinaciter, neque tali gradu ac in phthisi citatur. In chlorosi quidem pedes frigent, in phthisi autem calent ; et si quando œdemata supervenerint, hocce morbo pedes atque crura solummodò occupant, illo verò sese latiùs extendunt. Phthisici complexionem habent sæpè nitidam et venustam ; chlorotici autem pallidam, subflavo-viridem, quibus etiam oculi sunt hebetes, et palpebræ inferiores lineâ subcœruleâ livent. In phthisi animus plerumque alacer est et fortis, neque depressus ;

quod in chlorosi contrà. Chlorosis quasi comitem sæpè habet dyspnœam haud ita parvam, ab humore seroso in membranam cellulosam pulmonum effuso fortè orientem; neque absimile est veri, ut putà, casus quibus digitalis phthisi mederi habita est, hujus nonnunquam fuisse generis.

Casus, ubi signa phthisica per multos menses perstiterunt, et sensim ad stadia ultima hujus morbi adaucta sunt, sine ullis syphiliticis notis stipantibus, quandoque in conspectum dati fuerint; notis autem *syphiliticis* posteà supervenientibus, morbus facilis sanatu fuerit ex hydrargyro capiendo: unde vera ejus indoles pateat. Hìc diagnosis petenda est ex historia morbi antecedente, ex attentione talibus rebus quales vix cum phthisi necessariò innexæ, virus tamen syphiliticum indicantes, diligentissimè adhibita; et cæteris.

Rationem signorum prima stadia phthiseos stipantium, ex oppilatione, irritationeque pulmonum ab tuberculis ibi natis oriente; ex natura propria causæ excitantis; ex determi-

natione

natione sanguinis pulmones versus aucta ; necnon ex inflammatione tuberculis inducta, fortè reddendum est. Atque irritatio et inflammatio diutiùs perstantes, simul cum suppuratione tuberculorum, et absorptione puris vitiati in illis formati, signa in stadiis provectioribus evenientia quadammodo explicari possunt.

Prognosis usque in stadiis ineuntibus semper infausta ducitur ; perpauci quidem semel tentati, prosperam valetudinem recuperant. Cùm autem febris hectica instat urgetque, expectoratione purulentâ, sudoribus colliquentibus necnon diarrhœâ stipata, jure præter naturam duceretur, si aliquis morti ereptus esset. Quidam verò, etiam familiis strumosis vel tabidis orti, nonnunquam ad sanitatem bonam restaurati sunt, postquam cuncta signa vulgaria phthiseos tuberculosæ adessent ; quod quidem rarissimè contingit: Hoc tamen exinde discendum est, ne prognosi nimiùm confidamus.

Cùm signa phthisica post hæmoptysin, catarrhum violentum, suppurationem ex pneumonia, seu injuria externa orientem, valetudine nempè prosperâ, constitutioneque integrâ,

neque

neque viribus ægri fractis, eveniunt, spes major ducitur ægrum valiturum; potissimùm si, eodem tempore, signa hectica haud gravia existunt, neque pulsus multùm naturali frequentior, et æger vix aut ne vix quidem dyspnœâ affectus. Hæc duo posteriora pro signis faustissimis habeo; et quò meliùs de periculo quo stipatur morbus judicemus maximè efficiunt. Si autem, è contrario, acciderit, quod aliquis tabidis aut scrofulosis parentibus ortus, cui spina contorta, et pectus arctum nec benè formatum, signis phthisicis afficiatur, discrimen pari ratione majus fiat. Emaciatione et debilitate maximis factis, nullus omninò instauratus est.

Graviditas vulgò pro statu habetur quo progressui phthiseos occurratur; quod tamen multùm dubitandum puto; mihi enim casus huic sententiæ prorsùs contrarios sæpè vidisse contingit. Mulieribus phthisi proclivioribus matrimonium morbum accelerare potiùs quàm tardum facere videtur; et per primos menses graviditatis ubi ægra tabe incipiente laborat, omnia signa quasi aucta apparent. Quamvis phthisis

phthisis rarissimè quidem utputà fatalis evadit dum mulier ventrem gerat, me tamen judice morbus per hunc etiam statum progreditur, vires scilicet acquirens; neque est quod raro evenit ut mulieres post paucas hebdomadas, vel etiam paucos dies quàm partum ediderunt, ex hac tabe labescant, etiamsi labor parturiendi omnimodo naturalis, facilis, sine hæmorrhagia uterina, fuerit; ægris nempè mortuis quasi merâ debilitate et emaciatione confectis. Aliàs verò emaciatio et debilitas adeò progressa sunt ante justum terminum fœtum gerendi quàm ægra attigerit, ut labor præmaturus septimo forte aut mense octavo inducitur, et mors cursum miseræ prorsùs exhaustæ paucis diebus claudit. Ex meâ experientiâ igitur hoc pro comperto habeo, quod graviditas plerumque mortem phthisi correptæ potiùs celerat quàm tardat; morte tamen rarissimè eveniente ante parturiendum.

Quibusdam mulieribus lactatio quasi curam phthiseos promovens conspicitur, quæ ideoque tentari potest, si nullâ aliâ re contradicetur. Quandoque autem morbum usque graviorem reddit.

reddit. Mania phthisi pulmonali superveniens, hunc morbum quandoque suppressit; qui, eâ etiam fugatâ, nunquam rediisset.

Nexum validissimum phthisin pulmonalem inter et constitutionem strumosam existere, a medicis celeberrimis SYDENHAM et MEAD monemur; quæ res etiam a medicis nostratibus primi ordinis, CULLEN, HEBERDEN, et GREGORY, pro statuto habetur. Et quamvis scientiam scrofulæ, veluti causæ phthiseos agentis, nullum præbere commodum quibusdam asserere placuit; tamen si certè scimus talem nexum existere, hæcce (haud secùs ac omnis vera scientia) in usum denique converti potest; et etiam nunc quidem commodum nonnullum exindè fluit; cùm quædam ex juvantibus et lædentibus similes effectus ineuntibus maximè stadiis phthiseos edere inveniuntur. Adeò obscurè animalis corporis naturam cognovimus, ut vix rationem reddere possimus, cur, habitu nempè strumoso corporis urgente, glandulæ mesenterii, et eæ etiam colli, infantili tempore potissmùm afficerentur; et pulmones juvenili et adultâ ætate eadem paterentur

terentur mala. Neque explicatu facile est quomodo mammæ et uterus fœminarum, glandula prostata et testes virorum, et glandulæ ventriculi et intestinorum, haud secùs ac alia abdominalia viscera, sexûs utriusque, post mediam partem vitæ exactam, morbo procliviores essent: attamen res ita sese habent.

Scrofula et phthisis sæpè in singulis ejusdem familiæ ægris sese ostendunt, nunc quidem pulmonibus, nunc autem glandulis externis tentatis. Neque omittendum est, quod quidem maximè dignum est attentione, quasi utrisque in morbis contingens, effectum nempè ex anni tempestatibus orientem. Tumores externos strumosos per tempora hyemalia et vernalia gradatim augescentes, cursu suo tamen impeditos vel etiam penitùs fugatos mensibus scilicet calidioribus, haud raró conspicimus; attamen post inflammationem inductam, talis vix expectandum est effectus: tumores etiam priùs quasi fugati, hyeme instante redeunt. Hoc modo, ut SYDENHAMIUS posuit, tubercula in pulmonibus sita maximè referunt; namque tabidi haud aliter ac strumosi (si morbus

bus haud longè progressus fuerit) sanitatem æstivo tempore quandoque recuperant. Ita progreditur fortè per varios annos, signis mitioribus et gravioribus sese invicem excipientibus; nonnunquam etiam æger fit prorsùs sanus.

Si quando signa phthiseos, in aliquo parentibus phthisicis vel scrofulosis orto, habitu corporis strumoso induto, necnon ætate phthisi procliviore maximè florente, sese apertè prodiderint, ita ut tuberculorum in pulmonibus formatorum, vel in inflammationem abeuntium, metus sit; quæ formationi eorum obstare, resolutionem promovere, vel aliquam inflammationem inductam tollere possint, ea omnia studiosè et sine mora utenda oportet. Nam laudibus omnibus prætermissis, quibus SYDENHAMIUS equitationem, BEDDOES aliique quorundam aërum arte factorum respirationem, digitalem, aut stabilum bovillum, quasi specifica, efferunt; adhuc tamen latent medicamenta quæ tubercula pulmonum nondum suppurata dissipare, vel ea etiam ulcerata sanare queant. Igitur ferè nihil aliud, utputà, restat,

nisi

nisi ut ægrum moneamus à rebus talibus cavere quales phthisi favere, vel quando adest, signa ejus augere solent; et summis viribus adnitamur, regimine idoneo adhibito, quò meliùs constitutio ad suas vires maximo cum fructu exerendas valeat.

Tribus igitur stadiis quæ morbo propria sunt, spectatis, formatione scilicet, inflammatione, et suppuratione tuberculorum, hæcce quasi indicationes curativæ quærentibus sese offerunt:

Primò, Quò minùs tubercula in pulmonibus formentur curare; aut si quæ ibi jam formata existant, ea etiam removere.

Secundò, Si quando evenerit tuberculorum inflammatio, eam arcere.

Tertiò, Vires ægri sustentare, et quæ maximè urgeant signa levare aut tollere.

Ad hæc autem perficienda confitendum est, conatus nostros vix ac ne vix quidem in bonum cadere. Attamen nostrum est operam

dare ut quæ sanare nescimus mala, ea sint quàm minima.

Morbi jam suprà dicti, utpote quos phthisis sæpè excipit, et qui eam etiam excitare possunt, maximam attentionem jure sibi vindicant, quò citissimè amoveantur, aut proclivitati phthisi exinde orituræ, quamprimùm occurratur. Cùm autem genera morborum discreta constituunt, de cura unicuique propria non hic loci disserendum. Omnes cæteræ phthiseos pulmonalis causæ remotæ, seu prædisponentes seu excitantes, sunt fugiendæ, vel sine mora amovendæ. Quum verò has recensere in priore parte hujus opusculi operam dedimus, hoc etiam in loco rursùs annumerare, supervacaneum esset. Satis sit observare, statum plethoricum systematis, si quando adfuerit, amovendum esse, et quò minùs evenerit etiam cavendum. Cura sit ne sanguis pulmones versus majore copiâ moveatur, aut ibi congestionem faciat ; et perspirationem liberam cutaneam ciere quàm maximè oportet. Igitur vices repentinæ caloris atque algoris, atmosphæræ

atmosphæræ humida, et quæ causæ perspirationi officiant, diligentissimè evitandæ sunt. Æger semper induatur indusio laneo; necnon calidiore amictu utatur per tempora anni frigidiora. Exercitatio modica sub dio sæpè repetita, cujus generis sunt equitatio, gestatio in curriculo, jactatio in sede pensili, et navigatio, si modo tempestas sinat, sæpè ad salutem confert. Vetitum sit vino, liquoribus spirituosis, et quibus omnibus nimis stimulantibus, uti, et non nisi diæta ex lacte et vegetabilibus confecta permittatur. His cum conjungere oportet (si copia sit ægro) demigrationem in cœlum moderatè calidius, octo scilicet anni menses, tempestate frigidâ perstante. Si in memoria teneatur tempestatem frigidam et ventos frigescentes, tussim pulmonibus usque sanissimis excitare, neque cum nimiâ curâ evitari, ubi pulmones morbosè teneri sunt, posse, haud inficiandum est demigrationem a cœlo frigido et mutabili, in regiones æquales et moderatè calidiores, in bonum casurum esse. Et cùm benè cognitum sit signa phthisica etiam in hac nostra regione, gradu haud ita

parvo minui, et sese per totam æstatem, quandoque per paucos annos, vix ostendere; etsi posteà ex frigore accepto, intemperantia, aut similibus, redeant fataliaque evadant; forsitan pro certo statuamus, ut quod morbum unum aut duos annos, vel etiam quatuor aut quinque menses minuerit, id, si diutiùs adhibitum esset, reditum mali omninò præcidisset. Et casus hujusmodi nonnulli reipsà evenerunt, etiam cùm phthisis labe hæriditariâ orta esset.

Quoad loca in proxima terra continente phthisicis idonea, cœlo temperato, æquali, et sereno, quali hoc morbo laborantibus benè convenit, regiones Europæ Australes, Hispania, et partes Galliæ meridionales, potissimùm gaudent. Inter loca insularia, quæ insulæ nominantur Cape de Verd, Azores, Bermudæ, et Madeira, pro optimis ponuntur. Madeiram autem atmosphæra humida, itinera avia, et accommodatio nequaquam ægris aptata, minùs idoneam reddunt. Cœlum in Malta et Sicilia, partibus potissimùm humilioribus, nimis fortè calidum existet; ubi autem loci Sicilia

cilia in montes excelsos assurgit, omnes cœli varietates, eadem tempestate, vel etiam eodem die, nonnunquam eveniunt. De hac re Doctor Heberden monet, "Tabido præter omnia loca convenerit insula haud magna, in qua montes nulli excelsi sunt, quæ etiam procul remota est a montibus nivalibus aliarum terrarum, et cujus denique ea est temperies, ut mercurius in thermometro Fahrenheitiano rarò excedat gradum nonagesimum, aut infra sexagesimum descendat. Per quatuor æstivos menses is est Britannici cœli tepor, ut tabidus frustrà quæreret aliud sibi convenientius *."

Inter varia exercitationis genera, Sydenhamius celeberrimus equitationem præ cæteris habebat. Et aliis casibus prætermissis, fructum exindè excerptum fuisse a medico celeberrimo Doctor Darwin commemorat †; quod etiam, Doctore Simmons auctore, suo famulo

* Heberden Commentarii, p. 326.

† Darwin's Zoonomia, vol. ii. p. 474.

mulo evenit *. Quando ægri hoc exercitium tolerare nequeunt, gestatio in curriculo, vel jactatio in sede pensili, ut Doctor CARMICHAEL SMYTH monet, pro eo ritè interponenda sunt. Fructum maximum ex navigatione in phthisi pulmonali oriri antiquitùs benè innotuit: talis facultatis navigandi CELSUS mentionem facit; CICERO autem ipse in suo casu illam expertus est; et PLINIUS tabe laborantes Egyptum, non propter cœlum sed longam navigationem, petere solitos testatur. Doctor GILCHRIST, qui de hac re in suo libello benè tractavit, navigationem magnis extollit laudibus, et casus nonnullos recenset, quibus fructus maximus exindè percipiebatur. Quæ talibus ex modis exercitationis commoda exoriuntur, ferè máxima et certissima evadunt, quando stadiis ineuntibus morbi adhibentur.

Qualicunque autem modo exercitium adhibeatur; a frigore, necnon aëre humido semper

* SIMMONS "on Consumption," p. 54.

per cavendum est; neque ægrum exindè defatigatum oportet; potiùs quoque in salutem cadit ante prandium sumptum. Quod exercitationis genus ægro maximam delectationem, minimam defatigationem excitat, id semper aliis anteponendum. Quæ ab exercitatione generis alicujus commoda in hoc morbo fluxura sunt, ea forsitan effectibus ejus quoàd pulsum, tussim, et respirationem spectatis, meliùs constituentur. Si pulsus tardior, tussis minùs violenta et molesta, et respiratio liberior fiat, dum æger sese exercet, exercitium talia promittit commoda qualia ad perseverandum allicere debent; et vice versâ.

Cùm copia peregrinationis per tempestates frigidiores anni ægris haudquaquam datur, quod arte confectum est cœlum domi pro cœlo calidiore peregrè, mensibus nempè hiemalibus et vernalibus, forsitan ritè institutum esset; et ita haud incideret opus in partes australes seu occidentes Britanniæ demigrandi. Et hoc quidem utilissimum foret, si quando signa tabis pro tempore aliquo progressa fuerint ante de mutatione cœli quàm æger secum

reputaverit.

reputaverit. Quo casu aëris calor vix gradum sexagesimum secundum thermometri Fahrenheitiani excedere, neque minor sexagesimo esse debet.

Cùm signa inflammationis in stadiis ineuntibus phthiseos, sese apertè produnt, ad ea quamprimùm removendum operam dandum est; ex inflammatione enim, et suppuratione eam excipiente, discrimen futurum potissimùm oritur. Detractio sanguinis generalis, quamvis morbo progresso vix unquam requiritur, sæpè tamen indicari potest, his signis præsentibus; quandoque etiam opus sit ut repetita fuerit secundum dolorem, dyspnœam, vim et plenitudinem pulsus, &c. Vix autem res postulat ut venæsectio iterùm fiat hac solâ causâ, quod sanguis missus et jam concretus superficiem albam coriaceam ostendit. Balneum a gradu nonagesimo ad nonagesimum secundum calefactum *, necnon inhalatio vaporum

* SIMMONS "on Consumption," p. 17.

porum aquæ calidæ sæpè prosperè cedunt. Vesicatoria hoc tempore immediatè ad sedem doloris applicata sæpè sunt utilia, et etiam ex his frequenter repetitis fructus optimus interdum percipi potest. Alvus sit potiùs fusa, et si quando evenerit obstipatio, laxantia refrigerantia sunt statim exhibenda: necnon regimen antiphlogisticum omnibus in suis partibus, frigore solo excepto, assiduè observari debet, donec signa inflammatoria devicta fuerint.

Quasi medicamenta ad tubercula solvenda idonea, emetica laudantur a quibusdam medicis * ; et sulphas cupri sæpiùs datur ; cui tamen, utputà, nequaquam confidendum. Porrò necesse est ut emetica sæpè repetita ægrum vexent. Ubicunque vomitus habeatur conveniens, commodum majus ex eo quando navigatione, quàm ullâ aliâ causâ inducto, oriturum expectarem ; propterea quod minorem viribus injuriam quàm si emeticis excitaretur, faciat ;

 et

* SIMMONS "on Consumption," p. 66.

et potissimùm quod eodem tempore æger ex levi exercitatione navigationis fructum carpere potest. Quando emetica hoc solo proposito exhibentur, ut ventriculus depletus sit, vel pulmones a gravi materiei onere liberentur, sulphas zinci, in stadiis nempè provectioribus morbi, cæteris forsitan anteponendus est.

Digitalis, quasi medicamentum ad tubercula discutienda, vel etiam ulcerata sananda, magnâ pollens vi, olim laudibus elata, nequaquam opinioni respondet. Facultate tamen gaudet cursum sanguinis minuendi, gradu scilicet majore quàm ullum medicamentum cognitum; ista quidem per dies aliquot sumpta, ictus arteriarum pauciores dimidio nonnunquam fiunt. Veruntamèn quandò hoc evenerit, ex digitali utenda, et pulsus per plures hebdomadas ferè naturalis remanserit, vel etiam ad quinquaginta, quadraginta, aut pauciores ictus in sexagesima parte horæ reductus fuerit, sæpissimè accidit ut nullum denique commodum exinde fluat. Etenim signa nonnulla quamvis levare videatur, et febri hecticæ progredienti forsitan obstet, expecto-

ratio

ratio tamen perstat, et emaciatio et debilitas aucta evadunt. In hoc etiam medicamento usurpando, magnâ attentione curâque opus est; nonnunquam enim quasi venenum, dosi tantummodo refracta data, noxios edit effectus. Quandoque nauseam, vomitum, ægritudinem ventriculi gravem et dolorificam excitat; quæ cum effectibus ejus quoàd pulsum conjuncta, medicamentum faciunt haud facilè tractatu. Accidit interdum quod pulsus exinde haud tardior fiat, nisi post dies quatuor aut quinque elapsos ex quo tempore æger medicamentum capere cessaverit; dein autem pulsus tardior per dies aliquot perstat, etiamsi medicamentum, cùm primùm exhibitum sit, vix proprios in pulsu tardiore faciendo effectus ostenderit. Aliàs verò effectus medicamenti per unam aut duas hebdomadas, vel etiam per mensem, manent. Igitur necessarium sit refractas tantùm doses primùm exhibere, quas sensim augere decet: neque tamen repetendum est medicamentum nisi bis aut ter indies, quo effectus proprios suos accuratiùs ostendat; neque tali copiâ detur qualis signa metuenda

tuenda inducat. Denique quamvis spes medicorum digitalis nonnunquam frustratas dedit, utpote ad curam perfectam spectantes, sæpè tamen magni fuisse momenti confitendum est; et in morbo quo nullum medicamentum multâ pollet vi, cum grato animo accipi debet. Semper tamen in memoria tenendum est, hoc medicamentum neque, sic ut apud quosdam, exhiberi oportet, cæteris omninò prætermissis. Digitalem maximè idoneam et sanam futurum esse, et commoda majora etiam laturam puto, in stadiis nempè ineuntibus datam.

Muriate barytæ et muriate calcis quidam in phthisi, haud secùs ac in scrofula utuntur, ex quibus ambobus fructus percipi ducitur: spes verò sæpè frustrata, non eis confitendum monet. Idem verè affirmari de conio maculato potest, nisi quod signa, utpote digitalis, quandoque lenire videtur. Arbuto uvæ-ursi, laudibus quàm maximis elato, quàm cæteris jam suprà dictis usque minùs confidendum habeo. Commoda majora, veri est simile, oriri possunt ex parvis acidi sulphurici dosibus sæpè repetitis; quasi refrigerans agit, sudores hecticos

ticos minuit, et pulsum nonnunquam tardiorem facit. Etiam stadiis provectioribus phthiseos hæcce in bonum cadit, quippe sudores colliquentes minuens; et tempore omni forsitan si signa inflammatoria vix adsint, neque dyspnœa magna urgeat, et sputum liberè excreatur, pro medicamento omninò sano, interdum utili, recensere licet. Acida vegetabilia, citrus aurantium, et citrus medica præsertim, et fructus acido-dulces, sæpè felicitèr ab ægris phthisicis usurpata fuerint.

Balsama varia, et gummi-resinæ, myrrha præcipuè, quæ quasi tubercula in pulmonibus ulcerata sanare pollentia, olim maximè laudata, nunc quidem ferè ab omni medico jure prætermissa videntur. Neque tacendum est, quod fructus myrrhâ utendâ perceptos esse, a magnis pendet nominibus.

Cinchonam officinalem liberè dandam esse in hoc morbo a quibusdam monemur; attamen magnæ doses et frequenter repetitæ vix, utputa, et ne vix quidem, sine discrimine insigni in ulla ferè casu phthiseos tuberculosæ exhiberi possunt. In quibusdam profectò casibus,

bus, exempli gratiâ, ubi mulieres signa phthisica ostendunt ex lactatione justo diuturniore, aut leucorrhœâ, inducta; vel quando phthisis a debilitate, nimia copia seri, aut puris ex abscessu, vel post ullam chirurgiæ magnam operationem oriente, pendere videatur; si nulla adsit inflammatio pulmonibus, tussi cum expectoratione libera simul stipatâ, nihil obstat quo minùs cinchona et idonea et sana evadit. Morbo jam ad ultimum perducto, cùm magna urget debilitas, expectoratione liberâ et copiosâ perstante, ad hoc sudoribus colliquentibus adjunctis, decoctum cinchonæ unà cum acido sulphurico diluto sumptum, quandoque utputa in salutem cadere potest, neque saltem incommodum faciat.

Hydrargyrus in morbis nonnullis quasi fortitèr deobstruens cognitus, phthisin pulmonalem graviorem reddere, et progressum ejus maturare videtur; quamvis eodem tempore valeat ad signa syphilitica hunc morbum comitantia sananda. Aliàs verò, cùm omnia signa vulgaria phthiseos tuberculosæ a labe syphilitica pendent, hæcce prorsùs tollere queat.

Casum

Casum hujus generis notabilem ipse olim vidi.

Variis medicamentis sæpè necesse est uti, quo signa tabidum maximè urgentia leventur. Dolor thoracis violentus et fixus, necnon dyspnœa gravis, nonnunquam stadiis etiam in provectioribus morbi, præsertim si signa graviora fiant, ut sanguis mittatur necessarium reddant: sed copia tantum quinque aut sex unciarum hujus, pro tempore detrahi debet; quandoque prosunt setacea; epispasticum autem juxta partes affectas, iterum atque iterum, si necesse sit, applicatum, meliùs ullo ex jam suprà dictis evadit. Si quando tussis graviter urgeat, demulcentia, et imprimis opiata, exhibenda sunt. Sudores colliquentes acidum sulphuricum, dosi scilicet refractâ, vel hoc cum decocto cinchonæ conjunctum, requirere possunt. Et diarrhœa colliquens intra limites tenenda est opiatis, vel ore, vel cum enematibus sumptis; quæ quandoque a kino, catechu, et potione carbonatis calcis, auxilium accipiunt.

DIÆTAM

Diætam phthisicorum ex lacte, fructibus, et farinaceis, maximè confectam esse oportet. Quando adsunt signa inflammatoria, diætâ parca, refrigerante, et laxante, utendum est; stadiis autem ultimis morbi, debilitas, et emaciatio maximè timenda et provenienda sunt; quo tempore nempè lacte, farinaceis, et fructibus maturis, pauxillum carnis animalis recentis, jus e carnibus confectum, necnon jura ex gelatina (Anglicè *jellies*) magno cum commodo addi possunt. Et diætam pleniorem hujus generis etiam maturiùs prescribere liceat, præsertim si æger sit gracili formâ corporis, et constitutione scrofulosâ.

Cùm igitur omne remedium hactenùs nobis cognitum, nequaquam in phthisi medenda fide sit dignum; et cùm morbo progresso nihil nisi signa gravissima levare faciendum restat; ubicunque proclivitas phthisi sese apertè prodit, vel etiam habeatur suspecta, nitendum est pro virili parte, ut quamprimùm ei occurratur. A vicibus repentinis frigoris et caloris cura cum maxima præcavendum est, quod benè fit amictu calidiore per tempora anni frigidiora,

gidiora, necnon indusio laneo semper induto; conclavibus arctis et calidis evitatis; exercitatione regulari sub dio, si tempestas sinit, captâ; diætâ nutriente, non stimulante, adhibitâ, præsertim si constitutio sit debilis seu scrofulosa; et diætâ parciore, ubi adest plethora. Attentio parùm sapiens hisce et similibus rebus, inter causas fortè recensenda est cur phthisis pulmonalis in hac quàm in regionibus vicinis magis grassatur, quamvis cœlum quarundam harum haud minùs proclive ad phthisin pulmonalem excitandam videatur. Vices repentinæ algoris atque caloris haud rariùs in Batavia quàm in hac nostra regione eveniunt, et extremitates temperiei ferè majores sunt; effectus autem earum quoad constitutionem neque sunt tam subiti neque tam violenti: sed præ Magna Britannia catarrhus et phthisis pulmonalis rarò conspiciuntur. Hancce differentiam eò quod Batavi meliùs ac pleniùs vestiuntur, et domus habent satis amplas, benè ventilatas, neque calidas, quidam referunt *.

 Germani,

* BEDDOES "on Consumption," p. 74. et seq.

Germani, contrà, quorum in domibus vaporaria sunt, auris tam calidis vescuntur, ut catarrho et phthisi haud minùs ac Angli obnoxii extant.

F I N I S.